



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De presbyteris qui soli Missas solent celebrare.

Caput LXXIIII.

HOc quoque statutum est, vt nullus presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus sibi que respondentibus ipse tertius habeatur: quia quum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum, & illud in secretis: Orate pro me, aptissimè conuenit, vt & ipsius respondeatur salutationi.

*Ex eodē,
cap. 10.*

De illis qui coniugati presbyteri oblationes spreuerint. Cap. LXXV.

SI quis decernit presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se abstinere, anathema sit.

*Ex cōcil.
Agathē.
cap. 8.*

Vt presbyteri communicent quotiescunque Missas celebrauerint. Cap. LXXVI.

Dictum est nobis, quòd quidam presbyteri celebrata Missa detrectantes ipsi sumere diuina mysteria quæ consecrarunt, calicem domini mulierculis quæ ad Missas offerunt tradant, vel quibusdam laicis qui diiudicare corpus domini nesciunt, id est, discernere inter cibum spiritalem atque carnalem. Quod quantum sit omni Ecclesiastica religioni contrarium, pietas fidelium nouit. Vnde omnibus presbyteris interdiximus, vt nullus in posterum hoc facere præsumat: sed ipse cum reuerentia sumat, & diacono aut subdiacono qui ministri sunt altaris colligenda tradat. Illud etiam attendat, vt eos propria manu communice. Nulli autem laico aut sceminae Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os eius cum his verbis ponat: Corpus domini & sanguis, pro fit tibi ad remissionem peccatorum, & ad vitam aeternam. Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, & quantum in ipso est in honore, ab altari remoueatur.

*Ex cōcil.
Rotoma.
cap. 2.*

De eadem re. Cap. LXXVII.

Peracta autem consecratione omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Et si hoc neglexerint, degradentur.

*Ex epist.
Anacleti
papa,
cap. 12.*